



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniae, 1655**

§. 217. Considit in Deo. v. 43.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45515**

iam impletum est Domini desiderium. Verumtamen non descendit de cruce, ut impleat conditionem requisitam à credituris. an igitur Domini promissioni illi diffidis? plane, Domine; sed unde? maiora viderunt & non crediderunt.

**O** igitur iniqui! ô Vaff! quid dicitis, quid ultra miraculum ad credendum petitis? nonne imperavit Ventis & mari? tot millia hominû paucis in eremo panibus satiavit? & satiatis illis tot cophini fragmentorum superfuere? nonne & mortuos suscitavit, & omnis generis morbos curavit? super mare ambulavit? nonne mirabilis est mortuum posse resuscitare, quam adhuc viuum de cruce descendere? ideo male parua petitis, dum maiora facta tenetis: sed infidelitas vestra non potest satiari signis, multo fortioribus quam petistis, quia prophetarum dicta vel non intelligitis, vel ignorare vultis, nonne scriptum est, *ô mors ero mors tua, morsus tuus ero inferne?* & Isa. 11. *leuabit signum in nationes & congregabit profugos Israël,* & alibi: *morte turpissima condemnemus eum;* quo iure malitiavè petitis igitur vt descendat de Cruce, cum ira præfinitum sit à Deo patre, ut moriatur morte turpissima Crucis Iesus Messias vester, nili vt impediatis & vestram & omnium gentium salutem, ex suggestione spiritus maligni: memores estote eius quod Ioannes spiritu Dei plenus ait: *sicut exaltavit Moyses in deserto serpentem, ita exaltari oportet filium hominis;* & non descendere de Cruce donec mors sequatur, ut morte sua nobis donare possit vitam æternam, qui morsu, serpentis æterno ad morsum sumus, vt aspicientes in eum iugiter reuiuiscamus, & non moriamur æternum. Hæc scitis & tamen scire non vultis, O Scribæ, Pharisæi, & legum Doctores, quia contrarium prædicat operibus vestris? si itaque descenderet de Cruce ad vestram desiderium, sanè non probaret se verum esse filium Dei & Messiam, qui in Cruce mori debet & exaltari, vt exaltatus trahat omnia ad se.

**O** Iesu te obsecro, quia malitiose induratum est cor principum Iudæorum, non morè generalis, non fallacibus eorum dictis fidem adhibeas, qui enim tot tamque præclaris miraculis tuis credere noluerunt, nunc quidem nec fidem accomodabunt de cruce descendenti: Noli, Iesu descendere, sed perfice opus salutis nostræ in Cruce, quando tota salus nostra in tua morte sita est. Fer interim patienter blasphemias & opprobria eorum & doce nos charitatis ac patientiæ viam vt credentes salui fiamus.

S. 217. *Confidit in Deo. v. 43.*

**O** Iudæi, vel hoc verbum dicitis interrogatiuè vel ironicè; si interrogatiuè nequiter queritis quod tam manifeste videtis, si ironicè loquimini,

T 2

Quanta

Quanta malitia! quis unquam à mundi exordio talem blasphemiam audivit? quasi scelus esset, considerare in Domino Deo. Flete hic mecum ad hanc Dei altissimi ignominiam. Terra, lugeat mecum opprobrium creatoris sui, plorate omnia elementa ad hanc vocem maledictam Iudæorum & Principum eorum. sed obsecro, ô perversi principes, in quo quæso confidendum est? in cuius auxilio sperandum? si non in Deo *in quo omnia, per quem omnia, ex quo omnia, & sine quo nihil*: Et vos iterum alloquor, ô scribæ, in lege Doctissimi, quid lex vestra docet? quid Moyses? quid Propheta? quid Patriarchæ in quo speraverunt illi, & crediderunt? nonne in Dei auxilio, & vos filij eorum in quo speratis? & creditis? in vestra potentia? Romani eam abstulerunt in thesauris vestris, & pecunijs: at quam diu hæc durabunt? consumentur & peribunt, fruetur illis extraneus, quem ignoratis: Vultis verbo dicam, vel non creditis esse Deum cæli & terræ, vel ut Deum agnoscere & honorare recusatis. de ore vestro vos iudico.

**O** Iesu potentissime, Deus de Deo, lumen de lumine, quid dicam ad hæc vocem & malitiam impiorum hominum? horresco referens totis membris & vox faucibus hæret: nunquam ego sic vel cogitem vel dicam, sed dicam, omni tempore; *Deus meus es tu & confitebor tibi, Deus meus et tu & exaltabo te*. Atque ideo summe Pater, omnipotens, æternæ & clemens Deus, te oro, ut veram, rectam & christianam fidem illam, quæ sincera & incorrupta est, & nullis errorum tricis involuta, nec labe perverſitatis maculata, mihi instilles. Fac etiam, ut opera mea fidei illi convenient & respondeant, ne fides bona malis operibus polluat, & defædetur, ne te viam mea impura abnegare videar, quem fide vera confiteor: tribue etiam, ut ea tantum sequar & confitear, quæ tua sancta Ecclesia spiritu veritatis munita docet & confitetur, donec ad te in regnum tuum per veniam.

§. 218. *Liberet nunc eum si vult.* v. 43.

Continuant Iudæi malitiam, & super iniquitate iniquitatem addunt quia ante exprobaverant Iesu, quod consideret in Deo, nunc potentiam Dei patris & voluntatē oppugnant. Propterea dicunt, liberet eum, si vult, dixit enim, *quia filius Dei sum?* Ergo si filius Dei sit, pater liberet eum, si vult, quasi vellent dicere, si potest, velle enim & posse apud Deum eiusdem virtutis sunt. expecta Iudæe, quod modo non vult Deus liberare filium Christum de cruce, causa est, quia hora hæc est potestas tenebrarum, per quam filius Dei mori debet pro mundi salvatione, propterea autem potentia Dei non minuitur, nec voluntas deficit si modo non velit, sed & vos ô Iudæi intra triduum comprobabitur & potentiam & voluntatem, cum Deus, pater illum